

Primo: laudant S<sup>tem</sup> V<sup>am</sup> de missione legati et persona missi, extollunt optimam voluntatem Beat<sup>is</sup> V<sup>ae</sup>, non quod nova eis visa sit, sed quia, quo magis continua, eo magis eis est grata, sperantque per eam omnia bona fieri posse.

Secundo: Quod<sup>1</sup> ea, que per me dicta sunt de libidine dominandi huic Turci et multis regnis intra<sup>2</sup> breve tempus per eum acquisitis et continua oppressione Christianorum et insatiabili desiderio veniendi in Italiam, verissima sunt et ipsi<sup>3</sup> ea optime intelligunt et antea intellexerunt. Propter quod subierunt continue magnas expensas presertimque hoc tempore, ut furori eius resisterent; quod nisi fecissent, Turcum iam in Italia haberemus.

Tertio: Quod<sup>4</sup> ad generalem expeditionem semper fuerunt parati et nunc maxime sunt et putant ad hoc omnino<sup>5</sup> deveniendum et utinam, inquiunt, iam deventum esset; et quod propter ea maximam fecerunt diligentiam<sup>6</sup> apud ser<sup>mum</sup> dominum regem Ungarie, primo per nuntium, quem illic assidue detinuerunt, deinde etiam nuper per nobilem oratorem ad hortandam Regiam Maiestatem, ut forti ac constanti animo perseveret, et quod nunc mittunt ob eandem causam unum ex primariis civibus, dominum Paulum Mauriceno, in Germaniam, Boemiam et Poloniam ad dominos illos adversus Turcum<sup>7</sup> incitando. Addunt tamen reverenter et ut filios decet dicere se, quod sedes Apostolica implicita bellis Italicis neque per se potest bello incumbere, ut necessarium foret, neque alios, sive Italos, sive exteroros commode movere. Propterea reducere se cum omni reverentia ad memoriam V<sup>ae</sup> Beat<sup>is</sup>, primo ut dignetur dare pacem Italiae, ubi dari potest, presertim<sup>8</sup> nobis et honorabilibus mediis oblatis; ubi vero fieri pax commode non potest, indicere<sup>9</sup> inducias; deinde rebus ita compositis persuadere ser<sup>mo</sup> domino regi Francie, ut ad hanc rem concurrat, quod non dubitant, rebus in Italia sic compositis Maiestatem Suam facturam, presertim concessis ei decimis, vigesimalis et trigesimalis locorum suorum. Se non modo excitatos esse, sed iam motos in re ipsa versari, cum iam exercitum coegerint mari et terra, ut in omni casu reprimere possint impetum hostis, et occasione se offrente viribus uti ad honorem Dei et exaltationem religionis, neque solum se et ceteros<sup>10</sup> Christianos defendere, sed etiam vim ultro in-

<sup>1</sup> BACHMANN: item.

<sup>2</sup> BACHMANN: inter.

<sup>3</sup> BACHMANN: illi.

<sup>4</sup> BACHMANN: idem.

<sup>5</sup> BACHMANN: omnimodo.

<sup>6</sup> BACHMANN: intelligentiam.

<sup>7</sup> BACHMANN: Turcos.

<sup>8</sup> BACHMANN: persertim.

<sup>9</sup> BACHMANN: inducere.

<sup>10</sup> BACHMANN: exterios.